

*Tonada vagón*

ORATIO FUNEBRIS

IN LAUDEM

BEATISSIMI PII PAPÆ IX

IN ECCLESIA CATHEDRALI

CIVITATIS LEONENSIS HABITA

VESPERASCENTE VI NONAS MARTII

ANN. DOM. MDCCCLXXVIII

A PRESB. IESU M. AGUIRRE

EJUSDEM SANCTÆ ECCLESIAE

CANONICO.




*Typog. Joseph M. Monzon.*

Flores mei fructus honoris  
et honestatis Eccli. 24. 23.

ILLME. DÑE. V. CAPITULUM, PISSIMI ADSTANTES.

NUNC uberrimis lacrymis potius quam verbis acerbitatem  
mei, imo etiam vestri animi edissere deberem, suspiria nam-  
que et singultus, sermo doloris, eloquentiori modo et suadent  
et movent: linguam ergo sileré oportet, ubi cor in amaritudi-  
ne versatur. Et aliunde *¿nonne tumulus iste in medio ves-*  
*tri errectus, hoc templum praetiosis ornatibus destitutus, pullis-*  
*que circumdatus, sacri administri, nosterque Reverendissi-*  
*mus Praesul in paramentis nigris lugubrem cantum personan-*  
*tes, de jactura quam patimur, satis loquuntur?* *¿Quis enim*  
*vestrum rem tanti momenti de qua nuac agitur, ignorare va-*  
*let?.. Omnes simul in unum venistis, omnes unum idemque*  
*quaeritis, omnium cordium affectus in hoc unum tendunt;*  
*¿ubi Pater noster est? ¿ubi ille qui per evangelium nos ge-*  
*nuit? *¡Heu, heu nos!* omnes una voce clamatis: Ille qui non*  
*solum Pater noster, sed merito Pater Patrum vocabatur et*  
*erat, Pius IX, Pontifex maximus, excesit e vita!.... *¿Cur**  
*ergo tanta sollicitudine quaeritis, quem in terra frustra jam*  
*desideratur? Illum nec videre, nec audire ultra nobis erit,*



FONDO  
VALVERDE Y TELLEZ

sed nec ejus dicta, nec facta à nobis unquam oblivioni tradentur; imo de generatione in generationem usque ad consumationem saeculi ingenti veneratione, ac grati animi significacione memorabuntur, sunt etenim totidem beneficia in universo mundo diffusa. Quae enim natio, quae provincia, quae civitas, quaeque oppidum etsi exiguum; quae societas, quae familia, quaeque persona de eorum fruitione gloriari in praesens et in futurum non poterit? Verē Tu jo maxime Pi! lampas inextinguibilis es, aut melius dicam, luminare magnum, sol sine occasu à cuius calore non est qui se abscondat.

Si ergo res ita se habet, si praesens generatio tota, si vos omnes quidquid dixit et fecit fixum in memoria habetis quid opus est, ut de eo sermonem instituam? Ah! ego scio quia amanti non sufficit dilectum semel vidisse, semel audisse: itaque vobis, Pii magni et amatoribus et admiratoribus, magnalia ejus iterum iterumque audire, nullatenus in fastidium, sed è contra admodum pergratum erit. Hoc mihi animum praestat, ut sine magno timore, cordi meo acerbo dolore arrepto levamen sugerendo, tantillulum de Sanctissimo Papa Pio IX nuper defuncto, inculto sermone loquar. Novi equidem meum esse in hac vice tam praeclarissimi Viri laudationem persolvere; sed quis sum ego ut tantum Virum laudare praesumam? nonne ejus meritum in ore meo potius imminentum quam elatum apparebit? Esto, cujusvis facti, vel verbi ipsius narratio, magnum erit ejusdem praecionum; sed illepidia narratio omnia deformat. Quid ergo mihi erit facendum? laudare satis non valeo quia vires deficiunt; tacere non debo quia loqui praecepior..... Scio quid faciam: ad Eum

qui suum cuique tribuit accurram, ut ex ejus ore hanc capiam laudationem.

Ecce quid veritas ad hominum cognitionem nos docet: à fructibus eorum cognoscetis eos.... non potest arbor mala bonos fructus facere, (1) et alibi: qui fecerit et docuerit magnus vocabitur in regno coelorum. (2) Per os autem Prophetae, beatum esse dixit illum, qui in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte, qui erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. (3) Nonne iis verbis fideliter descriptas dilectissimus noster Pius primo intuitu apparet? Fructus ejus, id est, opera ejus testimonium perhibent de eo. Qui vero sunt fructus ejus? Paucis dicam: sunt fructus honoris et honestatis. Ipse fecit et docuit, et quaecumque fecit et docuit in ejus honorem vertuntur: ecce ergo fructus honoris, et ideo magnus in regno coelorum, id est, in Ecclesia. In lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditavit die ac nocte: en fructus honestatis, et ideo Beatus. Sed quoniam hoc sensu non pauci sunt, et omnibus retro seculis magni fuere atque beati, parum de nostro dilectissimo Pio dixerim, si illum cum multitudine ejus omnes accipiant; Beatum, ita ut ejus beatitudo, tamquam civitas supra montem posita, omnium oculis patens fuerit. Videamus an verbis facta consentiant.

(1) Matth. VII.16. 18.

(2) Ib. V. 19.

(3) Psal. I.

CUM mundus in suis commendationibus semper fallax inveniatur, utpote qui quamvis veritas in ipso sit, mundus eam non cognovit, nec enim sui eam receperunt; non mirum si nomen inconveniens tribuat alicui. Hinc est, quod non semel etiam malum bonum appelle, et ē contrario: ideoque, cui grandibus et permultis criminibus feralem celebritatem acquisivit, non raro magni nomen adscripsit. Quot hujuscemodi exempla enarrat historia! Non ita filii Dei, non ita; nam in divina revelatione edocti, et cum ea, tamquam in statu fideli ponderantes omnia, perfectiora non possunt non efformare judicia: qui enim in luce ambulant, haud facilē in errorem illiciuntur. Ideo in Ecclesia nemo nisi bonus, laude dignus agnoscitur, nemo beatus, nisi timens Deum. Cum ergo Pium IX magnum et beatum praedicamus, magnus in bono, beatus in timore Dei intelligi oportet. Libet igitur ejus magnitudinem primo memorare.

Fortasse, si Pium nostrum ab incunabulis aspicere curamus, jam ex tunc praeclara et non pauca stupenda ac futurae magnitudinis ejus lineamenta reperiemus. Sed quoniam tempus breve est, in iis non immorari mihi liceat, ut illico eum in Cathedra Petri sedentem attento animo intueamur. Illic statim tam magnus apparebit, ut mensuram omnem excedat; non enim alium invenio deorsum cui comparare valeam, idcir-

co usque ad coelum condescendam, ut opera Dei, quin illa minuam, sed potius exalte, mihi comparationis rationem ministrant: non enim ā semetipso operatum esse contendo, sed quoniam Deus in illo se ostendere voluit.

Dominus J. C. Redemptor noster, novus homo venit in mundum, et mundum in tenebris et in umbra mortis sedentem illuminavit et vivificavit, corruentem levavit, vacillantem sustinuit; cumque hisce temporibus opera ista fere redintegrare necessum fuerit, quasi novam hominem suscitavit, ut opus suum impleret, hominem cui non fuerit similis in terra, hominem ex omni parte magnum, qui omnes homines non modo majestate et potestate supergredieretur, sed talem ut sua ipsius magnanimitate omnibus in veneratione et admiratione esset. Ecce Pius IX, qui in saeculo un levigesimo mundum etiam in tenebris prope et in umbra mortis sedentem, proxime corruentem, et admodum vacillantem invenit. Ille vero aperuit os suum, et omni malo opportunum et efficacem remedium apposuit. Sic primo mundum illuminauit et vivificavit.

Mundus videbatur ad suum finem attingere, quoniam, sicut in diebus Noë, omnis caro corruerat viam suam super terram, et sicut praedictum est ad ultima tempora, abundabat iniquitas, et refrigesciebat charitas: hinc pietas praepropterè evanescebat, devotio vix perspiciebatur, religio discedere videbatur ā terra; jam enim divini verbi semen foecundum vel secus viam, vel supra petram, sive inter spinas cadebat, si forte seminarores essent: nam et ii abesse videbantur. Non impropte ergo de Christi fidelibus cum Propheta dici po-

*tuisset: omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt:  
non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* (1)

Ita rerum status, nihil aliud erat mundus quam corpus fere exanime, tam luce quam calore distitatum. *¶* Vnde ergo lux, unde calor qui vitam tam algido cadaveri reddere potuisse?

Minime desperandum. Pius IX Dei arcana scrutans, novum lumen mundi tenebras dissolvens, calorem et vitam reddens inveniet. Aperiens ergo os suum, immaculatam conceptionem Bmae. V. Mariae esse de fide declarat, et statim omnia in luce clarescunt, Christi fideles quasi ē profundo somno exitantur, eorum enim devotio quasi novo pabulo enutritur, pietas mirabiliter fovet, inflamatur charitas, et sic omnia innovari videntur. Vos fere omnes, P. A., testes fuistis, vos religiosam commotionem confessim operatam vidistis.

Ecclesia sancta, immaculata Christi sponsa, tot laboribus agitata, tot erumnis confecta, tot filiorum defectionibus moerens, etiam si adhuc nova et majora luctamina praevideret, laetabunda et praestantior ad praelienda praelia Domini se erigit, novo enim et invulnerabili scuto, novisque armis ditata modo se videt, novoque vigore referta. Igitur una cum angelorum choris gratiarum actiones Deo persolvit, Beatissimaeque V. M. tenerrimas laudes de praerogativa tanta congaudens, et modulatur et psallit; necnon mundum paulo ante in tenebris et in umbra mortis sedentem, nunc illuminatum videns, et quasi redivivum admirans. Exulta satis filia

---

(1) *Psalm. XIII. 3.*

Sion, jubila filia Ierusalem quia in te Dominus hominem magnum suscitavit, qui suo verbo hujusmodi magnalia patravit.

Sed nondum opus perfectum. Si enim ex una parte mundus quodammodo ad vitam fuerit revocatus, ex alia mortis germen in se gerens, et multorum insidiis hostium undique adortus, vix redivivus, proxima morte denuo minabatur. Ideo, et hos vincere, et illum mederi in promptu opus erat, et sic mundum corruentem levare. Hoc etiam munus Pius noster arripiet.

In agro Patris familias bonum semen nunquam non desstitit seminari: vix autem exortum, inimicus venit, et superseminavit zizania. Sic a mundi primordio error irrepsit, ita ut nullo unquam tempore in terra defuerit. Soeculis autem anteactis non nisi unus ex alio apparere visus est, quamobrem Ecclesia in hostium aditu preecludendo, nunquam quietem habuit, dieque ac nocte illorum profligavit copias, victrix semper evadens. Tot haereses quot dogmata, tot errores quot veritates quoquo modo ad fidem pertinentes prodierant, preecepta sive ecclesiastica, sive divina, sive naturalia non modo transgredi, sed penitus delere in propositum venerat; adversus haec autem omnia suo loco et tempore opportunè actum est.

Nostris autem misserrimis et luctuosis temporibus, et recentes, et pristini undique germinarunt errores; praelium universale adversus Dei Ecclesiam indicitur; societas a fundamentis concussa incipit nutare, familia suis propriis vinculis disjungitur, unusquisque hominum ab omni auctoritate se expertem proclamat: nihil enim credere, nihil agere nisi quod cuique libeat, hodierna scientia erudit. *¶* Ecce chaos

horrendum quo mundus totus nimium properat! Omnia ad hoc praelium inservire fiunt, omni armorum genere utitur, omnium conditionum homines vocantur. Sic enim ex locis theologicis, ex naturalibus scientiis et artibus, ex historia et chronologia, ex politicorum disciplinis passim argumenta, seu potius sophismata eruuntur. Adulatio, mendacium, calunia, divitiae, nimis turpis licentia, metus **vi** armorum aut pœnarum incussus, nihil non molitur ad errorem incutiendum. Praeterea, ad hanc exitialem pugnam et **potentes** et debiles, divites et pauperes, sapientes et ignari, haeretici et etiam catholici, scelestissimi homines, necnon **i quis** credet? et pietatem profitentes, ii nimirum qui moderati nūncupantur, undeque confluunt. Vere *fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania: astiterunt reges terrae et principes conveniunt in unum adversus Dominum et aduersus Christum ejus dirumpamus, dicentes, vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum.* (1)

*i Quis atram hanc procellam profligabit? i quis mundum sic corruentem levabit?* Inclitus Pius **IX**, ipse enim iterum aperiet os suum, et magna tempestas sedabitur; Encyclicam “*Quanta cura,*” et Syllabum profert, et omnes hujus temporis corruunt errores, omnia dubia evanescunt, veri fideles in fide solidantur, eorumque conscientiae pacatè quiescunt.

Hac de causa omnes throni concutiuntur, universi fere reipublicae moderatores voce magna protestantur, ferocesque minas evomunt, pseudopolitici et philosophi vocati exurgunt

(1) *Psalm. III. 1. 2. 3.*

et vociferantur, societas secretæ exasperbantur; ii omnes in magnum Pium nostrum impetum fecerunt unanimiter, et sua temporali potestate spoliaverunt, et vinctum tenuerunt. *i Quidnam vero ex hoc nacti sunt? Vere cogitaverunt consilia quae non potuerunt stabilire.* (1) *Qui habitat in coe-  
jis irridebit eos, et Dominus subsanabit eos.* (2) Magnus Pius, rupe fortior, immotus permanet, et cum vinci videbatur, ipse victor evasit. Mundum corruentem levabit.

Sed nondum satis. Mundum vacillantem sustinere adhuc necessum erat, et hoc ipse munus suscipiet. Duo problemata solvenda supererant: scilicet *i Ecumenici Concilii congregatio nunc et in futurum estne possibilis?* Posita ejus impossibilitate, quae ferè ab omnibus tenebatur *i quis fidei et morum quaestiones definiet cum de Papa infallibilitate non constaret?* Ad primum, factum respondet, id est, Concilii Vaticanani congregatio. Ad secundum, idem Vaticanum Concilium Papæ infallibilitatem definiens, indubium responsum firmat. Quod ergo impossibile fuerat existimatum, Pius IX possibile reddidit, et quod absque medela, satis provisum reliquit.

Nunc ergo et Syllabus, et quidquid Papa *ex cathedra* pronunciet, perpetuam et irrecusabilem stabilitatem accipiet. Alia Ecumenica concilia indicentur, vel non; nihil interest: malis supervenientibus Pontifex Summus obviam ibit, omnesque causas, appellatione remota, finem habebunt. Novi prodeant errores, veteres contumaces persistant; nec impunitus

(1) *Psalm. XX. 12*

(2) *Psalm. II. 4.*

grassari in posterum, nec celeriter progredi poterunt, quin statim sucumbere compellantur: nulla enim jam hæsitatione, dubium nullum cum sedens in Cathedra Petri fuerit loquutus.

Nec ideo in posterum Concilia Ecumenica inutilia dicantur; multa enim alia in Ecclesia Christi sive quoad disciplinam stabiendum, sive quoad ipsa fidei dogmata et mores definiendos veniunt. Idecirco Pius IX, indictione Concilii possibilitatem ejus demonstravit, et Papæ infallibilitatem in eodem Concilio confirmans, in tuto collocavit Ecclesiam, promptum, securum et præsentissimum præsidium ipsi comparans. Sic ergo mundum vacillantem sustinuit.

Hucusque dicta, multis quidem omissis, ad mundum universum spectant; quid vero pro singulis mundi partibus Pius IX ipse gesserit, historiæ non brevis discursus munus erit. Liceat autem mihi ex iis quæ ad nos attinent, grati animi causa, duo tatum breviter memorare.

Philippi à Iesu martyris mexicani beatificatio, paulo post susceptum martyrium, locum habuerat, ejus vero canonizatio jam à ducentis et amplius annis desiderabatur. Toto hoc non brevi tempore Ecclesia mexicana nullis fere perturbationibus concussa, miti pace potiebatur, quæ medio nostro saeculo vix elapsa, Deo permittente, turbata est. Tunc certè advocatum et, ut ita dicam, domesticum fortitudinis exemplum ob oculos habere, opportunum erat, quod Pius IX in sanctorum catalogo Philippi à Iesu magna solemnitate, et plusquam tercentorum Prælatorum concurso, inter quos septem numerabantur mexicani, nomen adscribens, apprime nobis aptavit. Ac

non multo post duos alios mexicanos martyres beatificavit: Concursio vere miranda, perturbatio mexicana et horum virorum sanctitatis declaratio!

Adhuc amplius. Pius IX quasi in supercilio sedens, omnia regna mundi continuò perspiciebat, ac de uniuscujusque necessitatibus admodum sollicitus, etiam remotissimas regiones sublevare in animo semper habebat. Quomodo ergo nostra infortunata Mexicus à sua munificentia fuisset aliena? Evidem, ab excenso Solio suo in hac vastissima mundi parte multam esse messem, operarios autem paucos aspiciens, quasdam digito suo lineas descripsit, quibus ecclesiasticam geographiam immutavit, novas metropolitanas et dioecesanás Ecclesiás instituendo, quibus statim selectos Pastores præfecit. Hujus pontificiæ ordinationis uberes et prætiosos fructus quis non videt? Vere dici potest: venerunt nobis omnia bona pariter cum his duobus beneficiis à Pio IX collatis. Testimonium queritur? Exurge tu et loquere, nimis felix Civitas leonensis, et dic nobis quis te fecit habere patronam B. V. M. Matrem luminis nuncupatam? quis tibi Pastorem donavit Episcopum? quis in te sedem episcopalem constituit? quis hoc templum ad cathedralis Ecclesiæ fastigium evexit, in quo singulis diebus sine intermissione sacerdotum chorus Deo publicas et solemnies laudes persolvat? Unde hoc tibi, ut seminarium juxta mentem Tridentinorum Patrum haberes, ubi adolescentes à teneris annis ad pietatem et religionem informentur, atque ad sacerdotiale ministerium ritè obeundum instruantur et parentur? quis demum nos om-

nes tantis, tantisque muneribus ditavit? Pius IX, Pius magnus, magnus in bono, magnus in Ecclesia, sen in regno cœlorum, Pius magnus de cuius magnitudine omnes acceperimus.

## II

**S**ED non modo magnus, etiam beatum esse dixi. Cum vero de ejus beatitudine loqueror, non de illa quam mundus promittit, intelligi oportet. Mundus enim illum, qui divitiis afflait, qui multarum gentium dominatur, qui in deliciis voluntatur, qui omnes suos inordinatos satiat appetitus, qui omne auctoritatis jugum excussit, et illum etiam qui dixit in corde suo "non est Deus." beatum appellat. Nefanda equidem beatitudo! a permultis desiderata, modis omnibus quæsita, nunquam vero ommino posessa. Absit a nobis hanc viro tan probo, quamvis in culmine imperii posito tribuere.

*Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis* (1) Ecce vere beatus, qui perfectam beatitudinem seu felicitatem, ut in hac vita haberi potest, solus potitur; ipse enim omnium est dominus, quicquid appetit obtinet, et in stabali pace vitam agit. Quid amplius, ut beatus quis nominetur, desiderare libet? Sed in primis, omnium est

(1) *Psam. CXI. 1.*

Dominus, qui Dei et universalem hominum delectionem in se allicit. Vir autem qui timet Dominum, et in lege Domini voluntas ejus, a Deo diligitur et Deus cum illo est, dicente Domino, si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus, et mansio nem apud eum faciemus. (1)

Sed non modo Dei, hominum etiam dilectionem in se concitat, cum de eo Sapiens dicat: et invenies gratiam et disciplinam bonam coram Deo et hominibus. (2) Evidem qui ingreditur sine macula et operatur justitiam: qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum, et opprobrium non accepit adversus proximos suos..... qui jurat proximo suo et non decipit, qui pecuniam suam non dedit ad usuram et munera super innocentem non accepit; qui facit haec, non movebitur in aeternum, (3) qui facit haec indubitanter ab omnibus deamabitur, omnium dominabitur voluntatum, omnium dominus erit.

Sed universa haec, et multo amplius, i nonne Pio IX aptanda veniunt? Hic est enim de quo uno verbo dici potest: "operatus est justitiam," et ideo dilectus Deo et hominibus. Dei erga eum dilectionem satis demonstrat ejus præelectio ad tam præclarissimorum operum exequutionem. Et revera, omnia quæ fecit i nonne Deum esse cum illo plane ostendunt? quod.

(1) *Ioann. XIV. 23.*

(2) *Prov. III. 4.*

(3) *Psalm XIV.*